24

S. IGNATIVS LOYOLA

IN ANTRO MANRESÆ

CONCENTVS SACRI

In Insigni Collegiata Ecclesia

SS. IOANNIS, ET REPARATÆ

Vigilijs Nocturnis

A Societate Musicæ Professorum, sub Titulo

S. CÆCILIÆ

Habendi

Diebus Martij 24. & 31. Anni 1689.

ADM. REV. P.

IOSEPHO MASSEI

SOCIETATIS IESV.

LVCÆ, MDCLXXXIX.

Typis Marescandoli. *Superiorum Permissu.*

ARGUMENTUM PRIMÆ PARTIS.

IGnatius Loyola, post acceptum uulnus in Pampelonensi propugnatione, restaurata valetudine, divino afflatus numine, in Antrum Manresæ secessit. Ibi ad magna, pro Dei gloria, ac animarum salute patranda totus exardescit. In Ignatium, hæc secum versantem, anxius humani generis Hostis, ut a proposito avertat, fraudes struit. Quapropter *Ambitioni* mandat, ut ei suadeat, militiam repetat; contendentibus alijs Inferorum Satellitibus, *Libidine* scilicet, & *Inconstantia* eam Victoriam de Ignatio, sibi unaquaque comparare nitente.

ARGUM. 2.

REX Inferorum, *Ambitionem* cum Ignatio ad pugnam enixius lacessit. Illa, hinc per Curarum anxiæ Conscientiæ Copias; indè per *Libidinem*, & *Inconstantiam* Commilitones suos primos impetus facit. Mox admovet sua Molimina, ut Christi Militem ab Antro rursus ad Arma impellat. Sed cuncta haud prospere.

ARGUM. 3.

IGnatius contra Mundi, Infernique Vires iam molitur inire certamina. *Ambitio* rata de sæculi militia repetenda hic agi; ab eodem per apta verba eluditur Asseclis cum suis. Comperta fallacia tristatur in Ignatio operam perdere; erigens tamèn animos, nil proficit.

ARGUM. 4.

INferorum Rex, ut in tanto discrimine suis consulat rebus, novas artes instruit *Ambitionem*, ac Socias in Ignatium adhibendas; nimirum, ut quæ primum militem Antro evocare studuerint, nunc personata facie Virtutum fuco, ab egressu deterreant. Datum fervet opus; Sed quoque irritus hic extremus labor; nam detecta ab Ignatio fraude, egregias Avernas tres Charites acri probro a se deturbat. Dux Erebi fractus animo, ac spe deiectus convicians Ignatio, Cœloque, cum suis Copijs in Tartara regreditur.

ADM. R. P.

PAr quidem erat, vulgare hoc, inconditumque Carmen, (uti *Nocturnis Vigiliis* addictum) suis in tenebris delitescere. In lucem adegit, illud per melos Audituris obtemperandi necessitas; quippe quibus in votis fuit ob oculos habere, quæ concinerentur. Satis fuit factum licet mei ipsius malo: utpote horum Carminum patens ita fiet sua inconcinnitas, ac rusticitas, ut admodum habeant Audientium oculi, quod auribus invideant. Qualiacumque hæc sint, tibi dico humanissime Ioseph, de tuo D. Ignatio (imo nostro) adeò benemerenti; adeo mihi ne-

cessi-

ceſſitudine charo, meritiſque ſuſpiciendo, ut cui cum benevolentia plurimū impendam obſequij. Omnia hic tuæ vitæ conditioni conſona animadvertes; Nocturnas pias Vigilias. Eremos; ſpirituales colluctationes; Quadrageſimalia tempora; ac demum hæc Carmina, quam Ieiuna! Si levia hæc mea arguas; profecto non indignor. Si quis carpat, libens & tu annue obloquenti. Ità æquitati, quod ſuum eſt, tribuetis. Vale.

Lucæ Quinto Kal. Mart. 1689.

Tibi Devinctiſs. & amantiſs. vere Seruus

Leo Santucci.

S. IGNATIVS LOYOLA
IN ANTRO MANRESÆ.
PARS PRIMA.
INTERLOCVTORES

IGNATIVS.
AMBITIO.
INCONSTANTIA.
LIBIDO.
REX INFERORVM.
CHORVS DÆMONVM.
CHORVS CVRARVM ANXIÆ CONSCIENTIÆ.
CHORVS AMBITIONIS.

*Ex Ch.Dæm.*2. Quis clamor?
Ex Ch. 3. Quæ Voces?
Ch. numeroſus Quæ tædæ Furiarum
In tetrica nube?
Ch. numeroſior Quæ reſonant tubæ
Per clauſtra pęnarum?
Ch. numeroſiſſimus Ad nova bella Rex ecce profundi,
Nos excitat mundi clangore ferali.
Rex Infer. Ergò nè ſomno tali,
Veſtra lumina, o Socij, oppreſſa cerno,
Vt terribili Averno,
Lateat vos, quæ paratæ extent ruinæ?
Proh' pudor noſtri! omnis è corde abivit
Priſcus valor. in Crine
Marcent angues Megæræ; Alecto faces,
Iam bellorum feraces,
Velut deiectæ ad humum,
Iacent extinctæ, & reſolutæ infumum.

Trux Phalanx o quondam tot palmis ornata,
O quantum mutata
Ab illa, tua vis!
In casu me tanto, quis adiuvet quis?

Ch. Dæm. Præcipe, præcipe Rex.
Nec longas per moras,
Mortalium in Oras
Excurret furore,
Depasta cruore
Teterrima nex.
Præcipe, præcipe Rex.

Duo ex Ch. A cardine mundus
Se vulsum videbit.
Confusa iacebit
Naturæ omnis lex.

Ch. Dæm. Præcipe, præcipe Rex,

Ch. Dæm. Mens nostra (si velles)
Est prompta rebelles
Pervadere nubes.
Et bella (si iubes)
Feremus Olimpo.

Rex Inf. Non minoribus his nostra pericla,
Animis opus habent.
Videam, quod corda vestra,
Acerrima in palæstra,
Adhuc turpi veterno, hodie non tabent.
Ausis nostra pericla his opus habent.
Illum cernitis illum
Manresæ in Antro, olim sequtum bella,
Asperrima flagella in se rotantem?
Heù quam (pudet fateri)
Quam timeo! mens ah' non sit præscia veri.
Illa mens nimium superba,
Nisi magna non molitur.

Non

Non me fallit, iam orditur
Bella in nos nimis acerba.
Æternum gloriæ,
Qui sertum nobilis,
Comis innectere
Ambit à me;
Certus Victoriæ,
Mentes immobilis
Loyolæ flectere
Præferat se.

Amb.Lib. & Inconst. { Non, non ego non despero
Hostem illum debellare.
Ambitio Tantum cordis in me gero,
Iuconst. Adhuc virium tántum fero,
Amb.Inconst. { Vt hæc possim
Non immeritò iactare.
Libido Ex hoc hoste io volo inermis,
Alia ab ipsa si non ero,
Spolia Victrix reportare.
Amb.Inc.Lib. { Non, non ego non despero
Hostem illum debellare.
Inconst. Moderator Averni, Vmbræ sodales,
In Terrigenas patet,
Quæ facinora in dies geram præclara.
Libid. Magne Rex nec te latet,
Quot, & quæ mecum prælia agant mortales,
Sed victoria quam rara!
Amb. Cordibus imperans
Queis non insideo?
Quos non possideo
Dicite vos?
Et ut illidam terræ,
Altius illos efferre ad astra est mos.

Inconst. Libid. Quæ Virtus est mea,
Amb. Quæ gloria sit mea,
Inc. Lib. Amb. Si potens non essem,
Inconf. Lib. De tali mortali,
Amb. De fæce illa terræ
Inconst. Lib. Amb. Referre Trophæa.
Inconst. Lib. Quæ Virtus est mea?
Amb. Quæ gloria sit mea?
Libid. Durum pectus
Ego blandis,
Petam Veneris favillis.
Quis ab illis,
Corda molliter illectus,
Neget dulciter offendi?
Quæ nam rigida
Corda frigida,
Non adussi, & non accendi?
Quot similes Ignatio isti severas,
His facibus detrusi ab antro feras!
Rex Inf. Non quod vestris o sociæ ausibus obstem;
Modos ad prædam miros,
Vestræ plurimi facio artis arcana;
Sed huiusmodi Viros,
Huius generis hostem,
Si non vincit Ambitio, omnis spes vana.
Inconst. Per difficiles vias Cœli supernas,
Innumera mortalium,
(Gloriæ sunt meæ) retrò vestigia cernas.
Gloriæ inanis, quæ cupido,
Quæ Libido
Non allexit
Corda flexit Inconstantia.
Iure læta in me confido,
Quod in bellis mecum gestis,
Pal-

Palmam Victrix sibi erexit
Raram vix Perseverantia.
Gloriæ inanis, quæ cupido,
Quæ Libido
Non allexit,
Corda flexit Inconstantia.

Ch.Dæm. Pene Mundum quæ vos armis in istis
Debellastis,
Vicistis;
Turpem, tantæ nunc ei parcite gloriæ
Notam inferre vestræ. et quæ spes vobis
Cum hoc hoste Victoriæ?
Huius generis Viros,
Gloria captos insana,
Si non vincit Ambitio, omnis spes vana.

PARS SECVNDA.

Ch.Dæm. PErge, dimica, vince, hostē debella.
Rex Inf. Vna quid valeas monstra
Ambitio, o gloria nostra,
Magni Tartari spes tuta profūdi.
Cuius virtute nota
Ab origine mundi,
Regia Inferni huius tota altè superbit
Triumphis, & trophæis,
Cuius gesta letheis
Obruent nunquam hæc suis flumina vadis.

Ch. Dæm. Quæ pectora invadis,
Et face tua calent,
Non viribus valent
Resistere tuis;
Fumis sed cœca suis Erebo tradis.

Rex Inf. Munus perfice datum
Ambitio, Ignatium illum,
Virum, seu Cœlo satum,
Sive Monstrum lethale (ut vis appella)
Perge, dimica, vince, hostem debella.

Ambit. Cum hoc hoste certamen inire,
Hoc in uno mille agmina adire
Non despero, non despero.
Si Parentes Mundi primos
Ego aggressa, traxi ad imos
Mihi pedes,
Et submisi.
Si de sede Paradisi
Gloriæ hæredes,
Potui cœtus deturbare;
Eadem possim ut præstare
Cum hoc hoste, eadem non ero?
Non despero, non despero.

Ch. Curarũ anxia conscictia. Quid ages Ignati?
In te fremunt Cœli irati.
Tua circundant,
Corda inundant
Turbæ criminum, & quæ?
Quis heu! miserans tui proteget te?
Plena a pharetra furoris
Cœlestis Vltoris;
Ab ira
Tam dira,
Quæ fugæ sit spes?
Perdita Ignati tua, perdita est res.

Ignat. Antra immania, Cavernæ,
Iræ à fulmine æternæ hospitem vestrum
Defendite, defendite. Vos meos,
Quos dant sinus angores,
Geminate clamores. Mitis

Mitis audiens ut eos,
Ad vindictam anhelum,
Compescat Deus in sua clementia telum.
Hæ pupillæ
Fundant mille
Mœsti flumina doloris:
Iesu, donec o pie iusti furoris
Flammas extinguant tui.
Et delicta, in quæ rui,
Rubicunda
Diluat unda,
Nostri plurima cruoris.

Inconstantia, En quò te perduxere,
& Libido. Temerè tua consilia.
Ferarum per cubilia
Solatio omni carere.

Ignat. Quidquid habes solatij a me recedas.

Libid. Demens si credas
In hoc angulo terræ,
Has, tuam non lentam,
Posse iuventam
Compedes ferre.

Ignat. Opportune speranda è Cœlo auxilia.

Inconst. & Lib. Veh! misero, veh' soli!
Tam stulta ah' noli,
Prosequi exilia.

Ambit. Quid per antra Bellator Ibere
Vitam ducis obscurus inertem?
O quot Palmis te facis expertem,
Quas nunc Socij per arma tulere!
Mille surgens à plausibus omen,
Spernis gloriæ quid stultè perennis?
Iam tui, Fama felicibus pennis,
Pulchra vulgat per vulnera Nomen.

Ignat. Procul, o procul este,
Facessite meo corde, ite profanæ,
Ite curæ molestæ:
Nostræ mentis insanæ
Quondam Idola, nunc tristis imago.

Ambit. Ergo instabili mente, & corde vago,
Studia contraria nutris?
Bella fugis amata, & otia quæris?
Nec te pudet Iberis
Castris cessisse, unius
Levis accepti vulneris ob noxam?
Garrula Fama prius
Quam, tua vulget effugia, & te latentem
Huic commisisse sedi,
Restitue tibi, & ad tua Signa redi.
Otia Miles linque amata;
Redi ad arma, & redi ad te.
Magna sequere tua fata,
Læta gloriæ amica spe.
Otia Miles linque amata;
Redi ad arma, & redi ad te.
His occultent antra imbelles,
Viles animas latebris.
Mens excussis tua tenebris,
Pellat animos rebelles,
Qui curarum turba ingrata
Cor dilaniant inter se.
Otia Miles linque amata;
Redi ad arma, & redi ad te.

Ignat. Redivi ad me, redivi;
Arma resumpsi: En bellum:
Sanguinis ecce rivi:
Hostis ego; Antrum Castra; arma flagellum.

Chor.

Chor. Angelor. Perduelles,
Et rebelles
Tui ſunt ſenſus,
Robore nunquam viles.
Semper infenſus,
In hos crudelia
Age tua prælia Miles.
Si tui Victor fuiſti,
Cunctis timendũ ſupra hoſtẽ viciſti.

PARS TERTIA.

2. ex Ch. EXurge, Ignati, exurge,
Amb. Animos urge ad magna;excute corde
Omni viliorem ſorde,
Tandem Socordiam iſtam.
Ignat. Quod bella, quod ego
Relinquam dum dego;
Bellare & deſiſtam?
Mihi poſſibile non eſt, non eſt.
Amb. Arma, arma ergo tua dextra non ſera,
Repete Ibera; ad tua Vexilla redi.
Ign. Nomen alteri meum militiæ dedi.
Amb. Novæ militiæ? & cui?
Ign. Regis invicti.
Amb. Potens ſua iura dat?
Ign. Terra, marique.
Amb. Et timendus?
Ign. Vbique.
Amb. At ſequendo eius Signa,
Quid ſpes agendi?
Ign. Æternæ gloriæ digna.

Amb.

Amb. Quibus & arma tua putas inferre?
Ign. Cunctæ finibus terræ;
Gentibus vel ignotis
Fulgidi Aurigæ rotis.
Feror impatiens,
Marmora remis horrida quatiens,
Indos ad usque mea Signa protêdere,
Illaque desuper Arces erigere.
Omnes subigere,
Mundum incendere.
Ch. Amb. Crede mihi, crede miser tu deliras,
Tu deliras.
Ad inania,
Cœca insania,
Tibi credulus, aspiras.
Crede mihi, crede miser tu deliras.
Tu deliras.
1. ex Ch. Ego rideo
Gloriæ, ut video,
Quò te ferat ardor vanæ;
Et tuam mentem spes insanæ
Agunt ludicras in iras.
Crede mihi, crede miser tu deliras,
Tu deliras.
Ch. Amb. Crede mihi, &c.
Amb. Patent mihi eius doli.
Eius sensus percipio, ut quæ sint illa,
Novi Regis Vexilla.
Cui mens incumbat moli.
Vos ridetis ego ploro,
Nostri Tartari ruinas.
Vt timendas in nos minas,
Eius cordibus avertam:
Moles omnes ut evertam.

Inuti-

Inutiliter exploro.
Vos ridetis, ego ploro.
Ch.Dæm. Ergo tam cito tuis
Animis defecisti?
Per Tartara in dies,
Iam fabula fies,
Quæ gloria fuisti.
Amb. Tibi sana tua mens, si cor est idem,
Pone lusus Ignati,
Sapiens concipe seria. Ego iam plaudo
Magnis ausibus quidem:
Veruntamen hos tuos rideo, non laudo.
Contrahe volatum menti,
Vltra nubes inania alta petenti,
Quas spondent tibi Fata,
Adi militiæ lauros;
Famæ avitæ adde tuos gloriæ thesauros.
Ignat. Non sæculi honores,
Non auri nitores
Hæc pectora mordent,
O mihi quam sordent
Hæc cuncta terrena,
Per astra serena
Dum Cœlum aspicio
Lætissima spe.
Quid Mundus o Iesu,
Cum quovis illicio,
Quid est sine te?
Tuæ Cruces
O chare.
Quo magis amaræ,
Sunt mella,
Sunt rores.
Cœlestes

Ardo-

Ardores,
Qui corda beatis,
Desistite,
[Satis;]
Tam dulci
Supplicio
Consumere me.
Quid Mundus o Iesu,
Cum quovis illicio
Quid est sine te?
Contine Iesu tuæ
Dulcedinis in me parcior fluenta.
Vt impendam tuæ gloriæ
Dona longiora meæ vitæ momenta.
Chara mihi Trophæa,
Cruces, probra, ludibria undique acerva;
Et his donis, hæc mea
Vacua à delicijs tuis pectora serva.
Serva hæc membra Tortori;
Sine me pœna, & non delicio mori.

Ch. Angel. Cordi quibus est gloria Tonantis,
Quibus Orco subducere prædas;
Eius leges, & perdere fœdas,
Dura in prælia se ferant aperta.
Non per Deserta,
Fas est lentis insistere plantis.
Eant contra Mundi, & contra Inferni
Potestates superbas, (acerbas
Omnia ad dura parati.
Christiadum est agere magna, & pati.

Finis Partis Tertiæ.

PARS

PARS QVARTA.

Rex Inf. SEgnes quid facimus?
Lib. Amb. Nihil proficimus.
& Incon. Tela, quæ iacimus,
Irrita abijcimus.
Rex Inf. Hac cum infanda
Mente, tentanda
Alia via, fraudes, & artes.
Veſtræ (o Sociæ) aliæ ſint partes;
Alias fingite vos formis ab iſtis.
Ineunda eſt cum eo nova palæſtra.
Et quæ ſuaſiſtis adhuc,
Cuncta retrò conſilia agite veſtra.
Huc intendite vires,
Huc conatum extremum,
Vt non Ignatius ſuam linquat Eremum.
Præceps erumpat
Si Torrens is è ſcatebris,
Deterget Orbe vitium.
Prodeat ſi Fera his latebris,
En cuncti Averni exitium.
Ch. Infer. Properate,
Feſtinate,
Nobis ſurgunt pericula in horas.
Perq;leves repunt maxima dãna moras.
Ign. Quid moraris Ignati? Vt hinc diſcedas
Flagitat Orbis totus.
Gemens en Pietas monſtrat
Quot raptas Cœlo trahant Tartara prædas.
Tuque adorande o Rex æternæ, ignotus,
Patiar, ut ſis tot Regnis?
Eia, age, rumpe moras,
Pedem exere Ignati, exere ſegnis.

Venio,

Venio, venio o remotiſsimæ
Orbis Oræ,
Ad vos lucidas Auroræ,
Ad vos plagas ſole nigras;
Vosque pigras
Hyemis Arctos gelidiſsimæ.
Venio, venio ut vos crebris,
Veri Solis fulgore ervam tenebris.

Inconſt. Siſte gradum; quò te (miſer) abducunt
Mentis infernæ doli,
Corda ut effundant tua Mundi in Theatro?
Minæ territent Poli,
Dum admotas avertis
Manus piger aratro.
Conſtans pedibus certis,
Totus hac ſede pius incumbe Cœlo.
Parta præcoci Zelo,
Speciosa ea ſomnia mitte; & Mundi oblitus,
Huc Dei flamine accitus,
Fuge vulgus hoc tuto abditus Antro.
Hoc Antro equidem triſti, at quam beatas
Spondet Cœli delicias!
In tuto es, ne proijcias
Inter undas te Mundi huius iratas.

Libido Si quis animæ ſalutis
Tibi eſt amor, antra cole.
Nimis mundus
Eſt immundus,
Nimis iacet in maligno.
Æſtu flagrant cuncta indigno
Corda, moribus ſolutis.
Creſcunt vitia ſua ſub mole.
Si quis animæ ſalutis
Tibi eſt amor; antra cole.

Amb. Magna pericla in magnis
Gestis animæ sunt . mentem muniri
Quam difficile à plausu! Omnia erunt tuta.
De te fama sit muta; ama nesciri.
Vulgi laude,
Dulci fraude
Intrat pectus gloria inanis.
Inde lenis
Cor venenis
Tumens inficit vesanis.
His lethalibus Cicutis
Nullus tutus sub hoc Sole.
Si quis animæ salutis
Tibi est amor; antra cole.
Amb.Lib.Inc. Si quis &c.
Ign. Imò quia mundus scatet
Vitijs undique fœdis;
Quia, sub, scelerum iacet
Tot tantisque ruinis,
Promptus Otia huius dia desero sedis,
Vt succurram ruenti.
Amb.Lib.Inc. Tuæ succurre, non mundo, illusæ menti.
Ch. Tibi nimium tu fidis.
Alios iuvare vis proprijs ruinis.
Ign. Iesu iussis [non mihi] annuo divinis.
Eius anhelans gloriæ
His ausibus me do. [ctoriæ.
Mea decertando in quo spes est vi-
Ipsa, quæ super Æthra
Sedet Parens, & Virgo alma Tonantis,
Suo Volumine, *Liber Exercitorum.*
Pleno Numine
Munijt electà me quasi pharetra,
Vnde proferam tela; effera ut corda

Quæ-

Quæque feriam mortalia.
Et præsertim vos nostra
Eadem sentietis arma in vos fatalia.
Larvas ponite pias inferna o Monstra;
Agnosco ingenia, agnosco,
At nunc non satis callida.
Discedite
Recedite.
Pergite
Mergite,
Illicò in pallida
Tartara vos. (inspires?
Lib.Amb.Inc. Nobis quid ultra o Rex, quid ultra
Rex Inf. Irruat totus Erebus.
Omnes in eum conglomerate vires.
Ch. Frustra, Averni o Rex, certamus
Lapsis undique spebus,
Ansam magis hosti damus
Semper probro nostro frui.
Rex Inf. At nostra gloria? *Ch.* Narras antiqua.
Rex Inf.Ch. Ah' cedendum! & cui? Numina iniqua.

FINIS.